

Quomodo? *Secundum beneplacitum suum* (inquit) *quod proposuit in sese*; Et paulò post: *In Christo* (inquit) *in quo etiam sortitò lecti sumus* (hoc est, adsciti & adoptati in Filios Dei per Fidem) *ciem essemus predestinati secundum propositum eius.*

LXXXIX.

Quis modò non palpat, verã & salvificam Fidem esse Donum Divini beneplaciti, solis electis peculiare? Unde & audito Sermone veritatis, Evangelio salutis nostræ, postquàm in eo Ephesii crediderunt, *Obsignati estis*, inquit, *Spiritu promissionis illo Sancto, qui est arrhabo hereditatis nostræ, dum vindicemur in libertatem & laudem Gloriæ ipsius*; Quo nomine non solùm pro iisdem DEO non desuit gratias agere, *audiat à ipsorum Fide in Domino JESU, & charitate in omnes Sanctos*, v. s. 13. 14. 15. Sed etiam perpetuitatem Fidei per obsignationem Spiritus non obscure indicat.

XC.

Nam quòd nobis occurritur à nōnullis, Fidem tunc demum Electionis notam esse certam, si perseveremus in eâ usque ad finem, (secundum illud, Hebræ. 3, v. s. 14. *Christi participes facti sumus, si principium* (sive primitias) *substantiæ, sive subsistentiæ* (quæ est *ὁπαραρχῆς* illa in Cœlis & manens, sive *ὁπρόσδοξίς* Sperandorum, Hebr. 10, v. s. 34. & cap. 11. v. s. 1.) *tenuerimus firma ad finem usque*, dicente Domino, Matth. 24. 13. *Qui sustinuerit usque ad finem, is servabitur*, & Apocalyp. 2. 26. *Si quis vicerit, & custodierit ad finem usque opera mea, dabo illi potestatem in Gentes*. Et quæ habentur, cap. 3. 12. *Si quis vicerit, faciam, ut sit Columna in Templo DEI mei, nec foràs egredietur amplius*: Perinde, ac si de Fide verã, ac proinde de Electione cujusque suã constare possit nemini, nisi quatenus cum finali perseverantiã de facto deprehenditur esse conjuncta, ac permansura ex posteriore demum cognoscitur.

XCI.

Ad hæc respondemus, Perseverantiam in Fide & bono opere, necessarium quidem esse Consequens veræ & justificantis Fidei (Hûc enim pertinent etiam Divinæ Cohortationes, ut propositum stadium cōstanter decurramus, & ad scopum supernæ vocationis contendentes feramur, ac vocationem & Electionem nostram studeamus firmam efficere in animis nostris ad plenam spei persuasionem, ne simus inertes & infructuosi ad cognitionem Iesu Christi, sed ut copiosè nobis subministretur Introitus in æternum Regnum Domini nostri, & Servatoris Iesu Christi; Phil. 1. 10. & cap. 3. 12. 14. & 2. Petri 1. 10. 11.) Interim tamẽ negamus De-

D

finitio-